

SECTIO V.

De hypostasi et persona.

529. *Tractationis materia ac utilitas.* — Huc usque declaravimus obiectivam ac generalem rationem conceptus substantiae et accidentis eiusque valorem vindicavimus. Reliquum est, ut supremas ac praecipuas divisiones persequamur, quibus utraque notio obnoxia est, quaeque ad Primae Philosophiae considerationem merito spectant. In hac porro sectione eam substantiae divisionem expendemus, quam Aristoteles (4. al. 5. *Metaph.* c. 8., item lib. 6. al. 7. c. 3.) tradidit, ubi ait, substantiam quandoque dici ipsum τὸ ἴδιον εἶναι, h. e. *essentia* seu *natura*, quandoque vero eiusdem essentiae τὸ ὑποκείμενον, h. e. *subiectum* seu *suppositum*. Haec divisio proxime accedit ad eam, qua substantia dividitur in *primum* et *secundum* [518], differt tamen in aliquo, ut patet ex dicendis. Ideo vero praesentem tractatum conficimus, ut exacta *personae* notio praeformetur sive in se sive ad *naturam* comparate; quod certe iis potissimum, qui rei theologicae operam sunt daturi, necessarium est, nedum utile. Agitur nempe de notione cum catholicae fidei mysteriis proxime cognata. Quare in animo est, ut in aliis, ita et maxime in re praesenti, a vestigiis Aquinatis ne hilum quidem discedere, sed eius doctrinam fidelissime huc derivare.

530. *Individuum in genere substantiae.* — Praeprimis itaque sciendum est, *individuum* universe ideo sic nominari, prout definit S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 29. a. 4.), quia *est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum*. Iam age, hoc aliqua ratione locum habet in quacumque re *singulari*, prout singularis est, ut patet ex iis quae in Logica declaravimus [331]; cuius rei gratia saepenumero *universale* et *individuum*, quasi duo immediate opposita

exhibentur. Speciali tamen modo recitata definitio individui veritatem habet in genere substantiae dumtaxat, non accidentis. Accidens quippe non est divisum secundum esse a substantia, cum in ea, non vero in se subsistat ac esse sortiatur. Contra, substantia ex sui ratione habet ut in se, non in alio, subsistat. Quare accidens, propterea quia est eiusmodi, aliquatenus deficit a perfecta ratione individui. Non tamen quidquid et quocumque modo est in genere substantiae, continuo dicitur individuum secundum plenum et perfectum huius vocis intellectum. Primo enim inde excluduntur partes aut quasi partes, quae *reductive* dicuntur pertinere ad substantiae genus. Esi enim hae non sunt in alio per modum *inherentiae*, quae propria est accidentis, non tamen in semetipsis plene subsistunt, sed in toto cuius sunt partes. Quare et ipsae desciscunt ab incommunicabilitate illa, quam notio individui praesefert. Excluduntur praeterea etiam praedicata generica et specifica, tametsi directe in praedicamento substantiae collocentur. Ratio est, quia etsi his exhibentur res subsistentes idque per modum totius, non tam subsistunt ratione sui, sed ratione singularium. Qua de causa etiam, ut alibi declaravimus [340], Aristoteles ait, haec quodammodo praedicari non *in quid*, sed *in quale*. Apposite S. Thomas. * Dicendum quod *hoc aliquid* proprie dicitur individuum in genere substantiae. Dicit enim Philosophus in praedic. (*Categor.* c. 1.), quod primae substantiae indubitanter *hoc aliquid* significant; secundae vero substantiae, etsi videantur hoc aliquid significare, magis tamen significant *quale quid*. Individuum autem in genere substantiae non solum habet quod per se possit subsistere, sed quod sit aliquid completum in aliqua specie vel genere substantiae; unde Philosophus etiam in praedic. l. c. manum et pedem et huiusmodi nominat partes substantiarum magis quam substantias primas vel secundas; quia licet non sint in alio sicut in subiecto, quod proprie substantiae est, non tamen participant complete naturam alienius speciei; unde non sunt in aliqua specie, neque in aliquo genere, nisi per

reductionem. (Qq. Disp. *De Anima*, a. 1.) Ex his omnibus haec definitio commode elici potest: *Individuum in genere substantiae illud est, quod in se perfecte subsistit, ac propterea neque in alio est, sive ut accidens, sive ut pars, nec de pluribus praedicari potest identice et divisim.* Quae definitio si comparetur cum ea, quae a Philosopho traditur de *substantia prima* [518], patebit unam ab altera reipsa non differre.

531. **Quid significant haec nomina: h. e. suppositum, hypostasis, subsistentia, res naturae, persona.** Individuum ita descriptum, seu prima substantia, variis nominibus a multis retro seculis (1) a catholicis doctoribus appellari consuevit. Rem totam paucis ita complectitur S. Thomas. * Hoc quidem (individuum in genere substantiae), communiter accipiendo nominari potest nomine significante intentionem, et sic dicitur *suppositum*. Nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem, quae quidem sunt *res naturae, subsistentia, et hypostasis*, secundum triplicem considerationem substantiae sic dictae. Secundum enim quod per se existit, et non in alio, vocatur *subsistentia*: illa enim subsistere dicimus, quae non in alio, sed in se existunt. Secundum vero quod supponitur alicui naturae communi, sic dicitur *res naturae*; sicut *hic homo* est res naturae humanae. Secundum vero quod supponitur accidentibus, dicitur *hypostasis* vel *substantia*. Quod autem haec tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen *persona* significat in genere rationalium substantiarum. (*Summa th.* 1. p. q. 29. a. 2.) Quocirca haec diligenter observa.

(1) Consulto sic loquimur. Est enim sedulo observandum hunc loquendi usum minime fuisse perpetuum, et quatuor praesertim prioribus seculis sermonis varietatem haec in re existisse non exiguum, ut videre licet ex his quae habet Hieronymus (Ep. 15. al. 57. ad Damasum. Opp. tom. 1. p. 138. -), item Athanasius (Ep. Syn. ad Antioch. Opp. tom. 1. p. 614.). Id ipsum notat S. Thomas quoad voces *substantia*, et *oúzia* (*Summa th.* 1. p. q. 29. a. 2.). Confer Petavium (*De Trinitate*, lib. 4. c. 3.).

I. Nomen *suppositi* ideo dicitur secundae intentionis, quia significat id quod ultimo supponitur seu subicitur in *logica praedicatione*, i. e. de quo genera et species substantiae essentialiter, aliae vero categoriae accidentaliter et denominative praedicantur. Id ipsum significat graeca vox *ούζια*; sed potius primo intentionaliter. Est enim *hypostasis* substantia in ratione substantiae adeo perfecta, ut non solum consistat ipsa per se, nec sit in alio ut accidens in subiecto vel ut pars in toto, sed etiam sit habens, tenens, et veluti sustinens reliqua omnia, quae in ea sunt, sive partes, sive accidentia, et iis quasi basis supponatur. Apposite rursus S. Thomas. * Tantum hypostasis est, cui attribuantur operationes et proprietates naturae, et ea etiam, quae ad naturae rationem pertinent, in conereto: dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, et est risibilis, et est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse *suppositum*, quia scilicet supponitur his, quae ad hominem pertinent, eorum praedicationem recipiens. (*Summa th.* 3. p. q. 2. a. 3.)

II. *Subsistentiae* nomen triplici acceptione usurpari solet. Primo quidem sic vocari potest substantia quaelibet, tametsi incompleta et materialis [515]. Secundo magis proprie hanc appellationem recipit substantia, quae, licet incompleta, alia tamen non eget quasi materia ut esse queat, cuiusmodi est anima humana ratione suae spiritualitatis. Tertia denique ac strictissima appellatione subsistentia vocatur sola substantia prima, quia scilicet ipsa dumtaxat in se perfecte subsistit et quasi pedem figit, prout explicatum est. Quare, ita si accipiatur, idem plane valet quod suppositum seu hypostasis (1). Huc

(1) Sequimur cum Aquinate in usu huius vocis antiquos Ecclesiae Patres, qui, ut notavit Gabriel Vazquez (In 3. p. D. 125. c. 1.), subsistentiae nomen acceperunt *conereto* pro ipso supposito, quod subsistit. Quare idem S. Doctor alibi sic loquitur. * Subsistentia, ait, idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, ut patet per Boethium in lib. *De Duobus Naturis.*, (3. p. q. 2. a. 3.)

etiam refertur altera appellatio, qua videlicet *res naturae* dicitur: hoc enim nihil aliud significat nisi rem, in qua natura subsistit, sive naturae subiectum primum vel suppositum.

III. Quoniam supposita intellectualia vel rationalia specialiori adhuc titulo habent ut in semetipsis sistantur et non in alio, quia scilicet dominium habent sui actus, et non solum aguntur, sicut alia, sed ipsa se determinant ad agendum: hinc speciali etiam nomine insigniuntur, *personae* videlicet, quod non aliud significat in genere substantiarum rationalium seu intellectualium, nisi illud ipsum quod praecedentia nomina denotant in toto genere substantiarum. * Sicut substantia individua, ait S. Thomas, proprium habet quod per se existat, ita proprium habet, quod per se agat; nihil enim agit, nisi ens actu; et propter hoc calor, sicut non per se est, ita non per se agit, sed calidum per calorem calefacit. Hoc autem, quod est per se agere, excellentiori modo convenit substantiis rationalis naturae, quam aliis. Nam solae substantiae rationales habent dominium sui actus, ita quod in eis est agere et non agere; aliae vero substantiae magis aguntur, quam agant. Et ideo conveniens fuit, ut substantia individua rationalis naturae speciale nomen haberet. (Og. Disp. Pot. q. 9. a. 1. ad 3.) Gemina habet in cit. q. 29. 1^o partis a. 1. et 3.

532. **Habitudo suppositi seu personae ad naturam,**

Similem loquendi morem amplexi fuerunt etiam antiquiores scholastici, ut videre est apud utrumque Victorinum, Hugonem et Ricardum, Alexandrum Alensem, Gulielmum Altisidorensem, Petrum Lombardum, Albertum Magnum, Bonaventuram, Scotum, et Durandum. Posteriores vero scholastici incoeperunt ab hoc loquendi usu discedere, et hanc vocem accipere in vi termini abstracti ad significandam *rationem ipsam seu actum subsistendi*. Immo non pauci ex ipsis, neque ignobiles, putarunt huiuscemodi rationem seu actum esse formam seu modum quemdam substantialem reipsa distinctum a natura substantiali, et ex compositione utriusque efflorescere id, quod nomine substantiae primae, seu suppositi vel hypostasis, significamus.

esse, et operari. — Ex tradita terminorum declaratione pronum est intelligere, quo pacto comparentur invicem suppositum seu persona, eiusque natura, esse, et operari. *Naturae* porro nomen in praesenti accipimus, prout severe et simpliciter usurpatur in genere substantiae [431, III. coll. 524].

I. Primo itaque natura comparatur ad suppositum per modum *partis seu principii formalis*. Est imprimis *pars*: in supposito enim non solum habetur natura, sed etiam esse, accidentia, et quaecumque alia praeter naturae definitionem ei attribuuntur. Deinde comparatur ad ipsum per modum *principii formalis*. Sicut enim ex forma unumquodque in sua specie constituitur et sortitur proprietates atque operationes proprias suae speciei, ita suppositum a sua natura habet ut sil substantia huius vel illius speciei, eiusque proprietates ac operationes exercere valeat. Differt tamen natura a forma, quae est altera pars compositi ex materia, sicut differt humanitas ab anima. Natura enim seu quidditas includit omnia principia essentialia rei, forma vero, puta anima, quae cum materia constituit compositum, non est tota essentia, sed pars, tametsi praecipua. Hinc natura consuevit vocari *forma totius*, h. e. suppositi, quae vero materiam actuat et cum ea constituit compositum, vocatur *forma partis*, h. e. materiae, ut paulo uberius suo loco explicabitur.

II. *Esse et operari* aliter comparantur ad suppositum, aliter vero ad naturam. Nempe suppositum, sicut habet naturam, ita etiam ipsum proprie est, quod habet esse et operationes, ac propterea suppositum dicitur simpliciter esse et operari. Ad naturam vero tum esse tum operari comparatur, sicut ad illud quo vel secundum quod suppositum est vel operatur. Ad rem S. Thomas. * Esse pertinet et ad naturam et ad hypostasim. Ad hypostasim quidem, sicut ad id, quod habet esse, ad naturam autem, sicut ad id, quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formae, quae dicitur ens ex eo quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid

album, et humanitate est aliquid homo *Actiones sunt suppositorum et totorum, non autem proprie loquendo partium et formarum seu potentialium. Non enim proprie dicitur, quod manus percutiat, sed homo per manum; neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, sed ignis per calorem. Secundum tamen similitudinem quamdam haec dicuntur.* (Summa th. 3. p. q. 17. a. 2., 2. 2^{ae} q. 58. a. 2.) Ex hac explicatione iam intelligere poteris non aliud et aliud esse, quemadmodum nec aliud et aliud operari, attribui natura et supposito, sed unum idemque *secundum diversum modum attributionis.*

His praesuppositis, haud difficile erit resolvere quae-
stiones in hac sectione praecipue intentam.

THESIS XIII.

Perperam docuere nonnulli, personalitatem nihil aliud esse, nisi conscientiam sui. Contra, omnino retinere oportet personae definitionem communi calculo receptam et a Boëthio traditam, nimirum: PERSONA EST RATIONALIS NATURAE INDIVIDUA SUBSTANTIA.

533. *Probatio I. partis.* — Militat haec contra Lockium, aliosque, qui, propterea quod consciendi actu personalitatem propriam cognoscimus et asserimus, ipsam personalitatis rationem in praedicto actu reposuerunt. Id vero falsum est duplici de causa.

I. Ut enim paulo ante exposuimus, nomine personae explicare intendimus speciale ac nobiliorem subsistendi modum, qui prae ceteris suppositis, elucet in natura intellectuali. Atqui subsistere, qua tale, pertinet ad complementum rei in suo esse substantiali; hoc vero consciendi actui praesupponitur, eoque proinde minime constituitur.

II. Si vera esset haec opinatio, ubicumque consciendi actus haberetur, eo ipso haberetur etiam ratio personae; et vicissim haec evanesceret semper ac consciendi actus deesset: definitio enim convertitur cum suo definito. Ergo anima humana a corpore separata, cum sit sui conscia, esset persona ac proinde suppositum, tametsi substantia sit incompleta. Contra, uniuscuiusque persona nulla esset, quamdiu conscientiam nostri non haberemus, ut contingit in infantibus, et dormientibus. Similiter duae essent in Christo personae, cum duplex in eo sit consciendi actus pro duplici natura in qua subsistit: contra, in Deo unica tantum persona esset, cum unus idemque indivisus consciendi actus, sicut et intelligendi, in eo inveniri queat. Haec autem omnia divinae fidei, et communi hominum sensui reluctantur.

534. *Probatio II. partis.* — Colligitur etiam ex his quae dicta sunt. Quemadmodum enim *individuum* speciali ratione habetur in genere substantiae, cui tantum convenire potest, ut in se sit et nullo modo in alio [530]; sic etiam specialiori adhuc ratione substantiae intellectuales *individuae* dicuntur propter dominium, quod habent in suos actus [531, III.]. Sicut ergo, pergit S. Thomas, hoc nomen *hypostasis* secundum graecos, vel *substantia prima* secundum latinos, est speciale nomen *individui in genere substantiae*; ita hoc nomen persona est speciale nomen *individui rationalis naturae*. Utraque ergo specialitas sub nomine personae continetur. Et ideo ad ostendendum, quod est specialiter individuum in genere substantiae, dicitur quod est *substantia individua*; ad ostendendum vero, quod est specialiter in rationali natura, additur *rationalis naturae*. (Qq. Disp. Pol. q. 9. a. 2.)

Illud praeterea accedit in huius definitionis confirmationem, quod ea plane convertitur cum suo definito. Et re quidem vera, eo quod dicitur *substantia*, distinguitur tum ab accidentibus, tum etiam a partibus seu principiis substantialibus, quae reductive tantum sub genere substantiae comprehenduntur. Cum praeterea appel-

letur *individua*, genus substantiae coaretatur ad modum essendi proprium substantiae primae seu suppositi et sic contradistinguitur a substantia secunda, quae pluribus communis est secundum praedicationem (1). Per hoc denique quod dicitur *rationalis naturae*, distinguitur a substantiis primis seu suppositis irrationalibus. Persona itaque sic definita nihil aliud est, quam *suppositum rationale seu intellectuale*. Constat autem ex communi hominum sensu omne suppositum huiusmodi esse personam, et viceversa. Definitio proinde allata omnino convertitur cum suo definito.

535. *Coroll. I.* — **Anima humana non est persona.** Est enim pars speciei humanae, ac propterea reductive tantum sub genere substantiae continetur. Nomen porro substantiae in definitione personae excludit non solum *esse in alio* per modum accidentis, sed etiam per modum partis, ut dictum est. Neque obstat, quod anima humana, utpote spiritus, sit res vere subsistens. Etsi enim sic dicitur eo quod excludit inhaerentiam accidentis et formae materialis, minime tamen ei convenit modus ille perfectae subsistentiae, quae suppositum est vel persona, ut ante declaravimus [531, II.]. Apposite rursus S. Thomas. * Per se agere convenit per se existenti. Sed per se existens quandoque potest dici aliquid, si non sit inhaerens, ut accidens, vel ut forma materialis, etiamsi sit pars. Sed proprie et per se subsistens dicitur, quod neque est praedicto modo inhaerens; neque est pars; secundum

(1) * Secundum quosdam, substantia in definitione *personae* ponitur pro substantia prima, quae est hypostasis; neque tamen superflue additur *individua*, quia nomine hypostasis vel substantiae primae excluditur ratio universalis et partis... Sed per hoc quod additur *individua*, excluditur a persona ratio assumptibilis... Sed *melius dicendum est*, quod substantia accipitur communiter prout dividitur in primam et secundam: et per hoc quod additur *individua* trahitur ad standum pro substantia prima. — S. THOMAS (*Summa th. 1. p. q. 29. a. 1. ad 2.*). Id ipsum S. Doctor monet (*Q. Disp. Pot. q. 9. a. 2. ad 7.*).

quem modum oculus aut manus non posset dici per se subsistens, et per consequens nec per se operans. Unde et operationes partium attribuuntur toti per partes: dicimus enim, quod homo videt per oculos, et palpat per manus; aliter tamen quam calidum calefacit per calorem, quia calor nullo modo calefacit proprie loquendo. Potest igitur dici quod anima intelligit, sicut oculus videt; sed magis proprie dicitur, quod hoc intelligat per animam. * (*Summa th. 1. p. q. 75. a. 2. ad 2.*) Excluditur praeterea a ratione et nomine personae anima humana, tametsi separata, per aliam vocem *individua*, prout monet idem S. Doctor (*Summa th. 1. p. q. 29. a. 1. ad 5.*).

536. *Coroll. II.* — **Humanitas a Verbo assumpta non est persona.** — Per hanc enim ineffabilem unionem evadit vere et proprie natura Verbi, non quidem ita ut Verbum intrinsecus ea constitutur in suo esse, sed ita ut Verbum non desinens esse id, quod aeternaliter erat, vere tamen et proprie in tempore incoeperit esse *homo*. Quare humanitas assumpta, tametsi proprie non est pars, assimilatur tamen parti et quidem praecise in eo, quod rationi suppositi contrariatur. Sicut enim pars est in toto, ac propterea non tam ipsa est, sed potius totum est per eam [437, III.], ita humanitas assumitur a Verbo ita ut ipsum Verbum verissime sit et dicatur homo, non vero alius quispiam a Verbo distinctus. Apposite rursus Angelicus Doctor. * Hypostasis significat substantiam particularem non quocumque modo, sed prout est in suo complemento; secundum vero quod venit in unionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes. Et similiter humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis, quia tamen venit in unionem cuiusdam completi, scilicet totius Christi, prout est Deus et homo, non potest dici hypostasis vel suppositum; sed illud completum ad quod concurrir, dicitur esse hypostasis vel suppositum. * (*Summa th. 3. p. q. 2. a. 3. ad 2.*) Lege mirabilem huius mysterii expositionem traditam ab eodem S. Doctore in *Compendio theologiae* ad fr. Reginaldum (1. inter Opusc. S. Doctoris), c. 211;

item in Opusculo II. (al. III), *Contra Graecos et Armenos*, c. 6.

537. *Coroll. III.* — **Divinitas, spectata in suis attributis absolutis, non est persona.** — Vox enim *individua* in definitione personae excludit communitatem etiam secundum praedicationem, immo in hoc praecise opponitur substantiae secundae, quod haec, secus ac substantia prima, de pluribus praedicari potest. Ut autem a catholica fide edocemur, divinitas inspecta in suis attributis absolute, etsi res est plane singularis ac nullo modo pars, veraciter tamen ac proprie est Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, tres quidem personae, et singillatim quaelibet earundem. "Dicendum, ait Angelicus, quod *individuum* in definitione personae sumitur pro eo, quod non praedicatur de pluribus: et secundum hoc essentia divina non est individua substantia secundum praedicationem; cum praedicetur de pluribus personis: licet sit individua secundum rem." (Qq. Disp. Pot. q. 9. a. 2. ad 12.) (1)

(1) Ex hac observatione S. Doctoris manifestum fit *substantiam secundam*, quae videlicet, prout Aristoteles definit [77], *in subiecto non est, sed de subiecto dicitur*, latius patere quam substantia universalis tametsi completa. Recitata enim substantiae secundae definitio vere et proprie convenit divinae naturae, spectatae in suis attributis absolutis, quamvis sit plane singularis et completa. Certum, in rebus creatis, nullum exemplum huiusmodi reperire licet. Quare nihil mirum, quod Philosophus divinae revelationis haec destitutus non attulerit ut exempla secundae substantiae, nisi praedicata specifica vel generica. Ex quo etiam habes, ut suo loco monimus [425], quantum ipsae naturales notiones, quas habemus, ex supernae fidei illustratione amplificentur.

THESIS XIV.

Ratio formalis hypostasis, seu personae, negative quidem concepi aut explicari potest, perfectionem tamen exhibet reipsa positivam. Tametsi porro cum Angelico Doctore naturam ac personam non solum conceptu, verum etiam, si de creaturis agatur, certo quodam sensu reipsa differre fatemur, haec tamen distinctio non eo spectat, ut formalem subsistendi rationem seu actum explicemus per formam seu modum substantialem a natura et esse substantiae creatae reipsa distinctum eique superadditum.

538. **Probatio I. partis.** — Constat communi naturae sensu. Nomina enim singularium personarum, *Petrus, Paulus*, et similia, nec non pronomina demonstrativa *ego, tu, hic, ille*, praefixa nominibus propriis naturarum, ut *hic homo, ille equus*, quae personas seu hypostases determinate designant, quid profecto positivum exhibent et sic ab omnibus intelliguntur. Et ratio manifesta est. Sive enim consideretur ratio per se subsistentis, prout est constitutiva hypostasis, sive ratio domini in proprios actus, quae in causa est, cur speciale nomen personae usurpetur, utraque aliquid simpliciter positivum exhibet, immo maxime perfectum in genere substantiae. Hoc tamen minime prohibet, quominus, ut saepe alias, talem perfectionem terminis negantium concipiamus et explicemus, puta excludendo a ratione hypostasis vel personae modum essendi sive accidentium sive partis sive communis praedicationis, vel modum operandi non ex propria determinatione, sed determinatione extrinsecus accepta. Sed quisque percipit, hisce negationibus perfectionem reipsa positivam exhiberi. Quare S. Thomas. "Nomen

personi, ait, nec nomen est negationis, nec intentionis, sed rei. (Summa th. 1. p. q. 30. a. 4.) (1)

Oblicies fortasse. Prout supra dictum est [530], *individuum* in supposito definitione idem est ac *indistinctum* in se et *distinctum* a quolibet alio. Atqui *distinctio* dicit negationem.

Respondeo. *Dist. minorem*. *Distinctio* dicit negationem consequentem positivam perfectionem secundum quam res distinguuntur *conc.*; *distinctio* dicit negationem, quasi in pura negatione formaliter consistat. *nego*. Id aperte docet S. Thomas (Qq. Disp. *Pot.* q. 10. a. 4.), ubi cum ostendisset Spiritum Sanctum in divinis non fore a Filio distinctum, nisi ab eo procederet, continuo sic prosequitur. *Nec potest dici, quod ad talem distinctionem faciendam sufficiat oppositio affirmationis et negationis. Quia talis oppositio sequitur distinctionem, non autem distinctionem causat, cum existens ab altero distinguatur per

(1) Egrege in hanc rem Card. Franzelin. *Conceptus simplicissimos, ait, qui per analysim in plures resolvi non possunt, vix melius valentis declarare, quam per negationes oppositi: ita explicamus quid sit *unum*, *simplex*, etc. Nec tamen propterea id, quod per negationes declaramus, non est aliquid positivum. Hoc modo etiam per negationes explicare possumus rationem hypostaseos, quod substantia constituitur in ratione hypostaseos per *incommunicabilitatem*. Communicatum intelligitur vel universale singularibus, vel realiter identificatum cum pluribus inter se distinctis, vel pars aut quasi pars toti et in se perfecto: unde huius communicationis negatio est affirmatio *totius in se* secundum superius explicata. Sicut ergo attributa divina, quae propter nostram modum ea concipiendi et declarandi dicuntur negativa, sunt perfectiones maxime positivae, ita etiam theologi, qui rationem formalem hypostaseos constituunt in *negatione communicationis* vel *dependentiae a subiecto*, non sunt putandi negare positivam perfectionem in formali ratione hypostaseos, sed solum simplicissimum conceptum *unius et totius in se* explicare volunt per negationem oppositi, quod nobis est notius, simulque declarare, ipsam substantiam integram, eo quod est tota in se, per seipsam non autem per aliquam aliam superadditam realitatem esse hypostasim. Ita mentem suam explicat Scotus 3. *Dist.* 1. q. 1. n. 9., et n. 11. ad 3. (Tract. *De Verbo Incarnato*, th. XXIX, coroll. 3.)

aliquid sibi inhaerens substantialiter vel accidentaliter: quod autem hoc non sit hoc, sequitur ex hoc quod distincta sunt. Similiter etiam patet quod veritas cuiuslibet negativae in existentibus super veritatem affirmativae fundatur; sicut veritas huius negativae, *Aethiops non est albus*, fundatur supra veritatem huius affirmativae, *Aethiops est niger*. Et ideo oportet omnem differentiam, quae est per oppositionem affirmationis et negationis, reduci in differentiam alicuius affirmativae oppositionis. Unde non potest esse prima distinctionis ratio inter Filium et Spiritum Sanctum ex hoc, quod Filius est genitus non spiratus, alius spiratus non genitus: nisi praetelligatur distinctio inter generationem et spirationem, et inter Filium et Spiritum Sanctum, per aliquam oppositionem duarum affirmationum. Huc usque S. Doctor. Cf. etiam quae habet (Summa th. 1. p. q. 29. a. 4.).

539. *Probatio II. partis.* — Quod conceptu saltem distinguere oporteat *naturae* ac *personae* rationem, patet ex distincta utriusque definitione. Quod vero, *certo quodam sensu*, si de creaturis agatur, reipsa etiam haec differant, inde colligitur, quod natura, ut natura est, comprehendit ea dumtaxat, quae definitionem quidditativam ingrediuntur; suppositum vero se persona significat per modum totius, quod habet non modo naturam, sed cetera etiam quaecumque in substantia prima creata insunt praeter naturam, puta esse et accidentia [532]. Atqui inter haec duo distinctio intercedit realis inadaequata. Hinc de solo Deo verum est affirmare: *Quidquid habet, hoc est*. Huc redit doctrina Angelici, cum affirmat in substantiis creatis, praesertim materialibus, non solum secundum intelligendi modum, sed etiam *secundum rem* suppositum differre a natura. *Dicendum, ait, quod persona aliud significat, quam natura. Natura enim, ut dictum est art. praec., significat essentiam speciei, quam significat definitio. Et si quidem his, quae ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturae, quod est individuum subsistens in natura illa: quia unumquodque

individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia et principia individuantia; sicut maxime (1) apparet in his, quae sunt ex materia et forma composita. *Et ideo in talibus etiam secundum rem differt natura et suppositum*; non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quaedam alia, quae sunt praeter rationem speciei. Unde suppositum significatur ut totum habens naturam sicut partem formalem et perfectivam sui; et propter hoc in compositis ex materia et forma natura non praedicatur de supposito; non enim dicimus, quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est, in qua omnino nihil aliud est praeter rationem speciei vel naturae suae, sicut est in Deo, in ea non est aliud secundum rem suppositum et natura, sed solum secundum rationem intelligendi: quia natura dicitur, secundum quod est essentia quaedam, eadem vero dicitur suppositum secundum quod est subsistens. Et quod est dictum de supposito, intelligendum est de persona in creatura rationali vel intellectuali, quia nihil aliud est persona, quam *rationalis naturae individua substantia*. (Summa th. 3. p. q. 2. a. 2.) Confer quae alibi diximus [367, obiect. V., 372], nec non testimonia S. Thomae citata ibidem: non enim aliam doctrinam continent ab ea, quam modo docemus (2).

(1) Sedulo notanda est haec vox *maxime* ad probe et plene intelligendam mentem S. Doctoris in hac materia. Nempe distinctionem, de qua loquimur, agnoscit quidem S. Thomas *praecipue* in substantiis creatis materialibus, sed non *vice*. Hinc idem S. Doctor similem etiam distinctionem expresse ostendit etiam in Angelis, in *questione quotibetali secunda*, a. 4., ubi in responsione ad primum habes clarissime expositam rationem praedicti discriminis, cur videlicet ex mente S. Thomae *maxime* in rebus materialibus suppositum a natura distinguitur.

(2) Exinde intelligitur etiam, quod supra innuimus [529]: non esse omnino idem *naturam* per se spectatam et *substantiam* secun-

540. *Declaratio et probatio III. partis.* — Militat haec pars contra opinionem inde a seculo XVI. inter theologos, eosque sane graves, receptissimam, quae formalem subsistentiae rationem explicat ope alicuius formae, seu actus positivi substantialis, qui sit ex natura rei distinctus tum ab essentia tum ab esse substantiali cuiusque suppositi creati, ac utriusque realiter superadderetur, quo substantia creata in ratione suppositi seu personae constituatur. Etsi porro non defuerunt, qui cum Petro Hurtado (*Metaph.* D. 2. sect. 9. n. 50., D. 11. sect. 9. n. 123, 126) eo usque progressi fuerint, ut docerent, nullam elucere repugnantiam, quod singularis integra natura existat sine subsistentia (sive in se, sive in altero), et forma sola subsistentiae sine natura realiter existat; ceteri tamen plerique omnes philosophi et theologo, qui hoc genus distinctionis admisserunt, subsistentiam non habuerunt, nisi ut modum quandam substantialem, qui neque de potentia Dei absoluta conservari queat seorsum a natura cuius est modus. Ita inter alios docent Suarez (*Metaph.* D. 34. sect. 4.), Lugo (*De Incarnatione*, D. 12. sect. 3.), quibus et recentioribus accessit clarissimus nostrae aetatis philosophus Matthaeus Liberatore (*Instit. Philos.*, Ontologia, n. 103, seqq. Edit. 1881) (1). Quoniam haec controversia theologica potius est, quam philosophica, hinc brevissime me expediam et paucis aperiam quod sentio, salvo meliori.

dam, puta *humanitatem et hominem*. Substantia enim secunda praedicatur de prima, ac propterea, tametsi indistincte, dicit etiam principia individuantia eiusdem; contra, natura per se spectata haec principia ne indistincte quidem significat, et sic (in rebus creatis) nequit praedicari de substantia prima. Quare S. Thomas (7. *Metaph.* lect. 2.) expendens divisionem Aristotelicam subsistentiae in *naturam et suppositum*, oculatissime ait, eam esse *ferè* eandem cum *illa quae ponitur in praedicamentis*, quae scilicet dividitur in *primam et secundam*: est quippe una alteri valde affinis, sed non plane eadem.

(1) Hanc sententiam latissime refutare conatus est Claudius Tiphanius in suo erudito opere, cui titulus: *Declaratio ac defensio doctri-*

Iam age, ex omnibus, quibus modo exposita sententia refutari consuevit, unica, quae me movet, ratio haec est. Nam praecisione facta a tali modo superaddito, qualem concipiunt adversarii, natura, puta humanitas, non solum completa est in genere et specie, sed etiam vere et proprie est actu existens, non quidem in sola mentis praecisione, sed in natura rerum. Supponitur enim hic modus reipsa distinctus tum a natura tum ab esse actuali eiusdem. Atqui in statu reali impossibile est invenire medium inter *esse in alio*, et *esse non in alio*: haec enim positive quidem, sed immediate opponuntur. Ergo praecisione facta a modo subsistentiae superaddito naturae existenti, haec necessario concipi debet vel esse in alio vel esse non in alio. Nequit prior optio fieri; id enim vel est proprium accidentis, vel naturae partialis, vel naturae totalis quidem sed assumptae; quod minime contingit in re praesenti. Sin vero alterum membrum eligatur factae disiunctionis, iam talis modus superadditus est plane inutilis ac propterea repugnans. Eius enim formale munus in eo ponitur ab adversariis, ut natura totalis sit actu in semetipsa, et non in alio.

541. *Solvitur obiectio.* — Unica difficultas, quae iudicio Lagonis (*De Incarnatione*, D. 12, sect. 2, n. 11, 12, 13.) efficaciter urgeri potest in contrarium, ducitur ex mysterio Incarnationis ac praecipue propter illud axioma, suo loco exponendum, nimirum: *Ex duobus entibus in actu non fit unum simpliciter*. Nam in unione hypostatica humanitatis cum Verbo, ex una parte Verbum est certe omnino et sub omni respectu ens actu completum: ex alia vero humanitas assumpta videtur, non quidem absolute, at certe *in genere substantiae*, actu completa. Qui ergo fieri potest, ut *substantialiter* uniantur? Certe unitas,

nae SS. Patrum Doctorisque Angelici de Hypostasi et Persona, etc.; quod recens excusum fuit Parisiis typis Berche et Tralin, an. 1881. Multa profecto ibi inveniuntur valde utilia, nedum erudite dicta: non desunt tamen, quae merito fortasse alicui videri queant non accurate admodum vel etiam nimis hidenter dicta.

per se et simpliciter dicta, maxime cernitur in eo, quod est substantialiter unum.

Huic difficultati difficile admodum est, meo iudicio, pro merito satisfacere in sententia, quae essentiam et esse non distinguit, nisi sola ratione. Sed si opposita sententia eligatur, quam paulo inferius ex mente Angelici declarabimus, factum a Lugone argumentum optime solvi posse videtur, quin recurramus ad modum substantialem superadditum. Si enim essentia et esse in rebus creatis reipsa distinguuntur, dupliciter certe concipi et esse potest natura aliqua, puta humanitas, in suo genere et specie completa. Primo sic, ut habeat esse sibi connaturale, seu, ut loquitur Angelicus, *causatum ex principiis naturae*: atque ita eo ipso erit in se, et non in alio, atque adeo erit suppositum seu persona. Contra, si supernaturali atque ineffabili divina operatione non habeat esse sibi proprium et connaturale, sed trahatur ad esse divinae hypostaseos, eo ipso iam non amplius in semetipsa habebit esse, sed subsistet in esse et per esse divinae hypostaseos, a qua assumitur; ac adeo non amplius erit suppositum, sed erit in supposito divinae naturae. Ita expresse rem explicat Angelicus Doctor (*Summa th.* p. q. 17, a. 2.). Quare idem S. Doctor ad obiectionem, quam his verbis ipse sibi proponit. * Omne, quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens, quod potest et adesse et abesse alicui praeter subiecti corruptionem. Sed natura humana advenit ex tempore Filio Dei habenti esse perfectum ab aeterno. Ergo advenit ei accidentaliter. Huic obiectioni, inquam, hanc subiecit responsum. * Illud quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi. Sicut in resurrectione corpus advenit animae praesistenti; non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam. Non est autem sic de albedine, quia aliud est esse albi, et aliud est esse hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim

sive personam: ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae (1). *Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei.* (3. p. q. 2. a. 6. ad 2.) Suarez sincere fatetur (*Metaph.* D. 31. sect. 1. n. 12. in fine), hanc explicationem recte confutari non posse, nisi supponendo identitatem inter essentiam et existentiam rerum creatarum. Inferius autem (D. 34. sect. 4. n. 8, 10.) hanc sententiam dicit fuisse frequentem inter theologos sui temporis, immo addit eam merito ceteris praeferrī, si vera sit opinio, quae distinctionem realē agnoscit inter essentiam et esse. Sed de hac re satis, ne philosophiae confinia transilire videamur.

(1) Ad plenius intelligendam mentem S. Doctoris, revocare oportet in mentem, quod, in pura creatura, esse (substantiale) constituitur seu specificatur a natura cuius est actus, et praeterea habetur cum supposito istius naturae. Iam vero in unione hypostatica Verbi cum natura humana, esse Verbi hypostaticum complet utriusque naturam, quatenus per ipsum haec reipsa evadit natura Verbi, sed minime ea constituitur seu specificatur, quippe esse divinum transcendit omne genus et speciem. Propterea consulto ait S. Thomas loc. cit., naturam humanam minime assumptam fuisse ad unum esse, prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae, sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae. Non diffiteor, in quaestione. *De Verbo Incarnato*, recensita inter Qq. Disp. S. Thomae, expresse in a. 4. doceri sententiam oppositam ei, quae continetur in 3. p. *Summae theologiae*. Placet tamen responso Caietani. *Opinio illa, ait, posita in quaestione illa: *De Unione Verbi* (inter disp.), et retractata censenda est, nisi quis adeo desipiat, ut patet doctrinam in hoc ultimo libro (*Summa II.*) traditam, et in authenticis libris etiam prius probatam, scilicet in 3. Sent. *Dist.* 6. q. 2. et in *Quolibet*, 9. a. 2. reducendam esse ad quaestionem vix cogitam inter opera Auctoris, et longe ante factam. Quae rationalibus creditur colligendo condita inter schedulas disputationum, quam umquam edita a D. Thoma. Constat enim quaestionem illam de tanta re, hoc est *De Unione Verbi Incarnati*, imperfectissime materiam unionis tractare, et per hoc dissonare ab aliis quaestionibus disputatis eiusdem, et rationibus multum debilibus uti, ut patet conferenti illos articulos similibus in hoc opere; et quinque tantum articulis rem tantam absolvere: praeserferunt siquidem haec quae diximus. Ita Caietanus (In 3. p. q. 17. a. 2.).

SECTIO VI.

De praedicamento qualitatis.

542. **Notio qualitatis.** — Ut in Logica [81] notavimus, praedicamenta distinguuntur pro diversitate interrogationum, quas de prima substantia fieri contingit. Quemadmodum igitur interroganti, quid ipsa sit, assignatur essentia, quae propterea *quidditas* vocata est; sic interroganti, *qualis ipsa sit*, respondere oportet per differentiam, cuius ope una substantia differt ab alia, quaeque, utpote eam qualificans, *qualitas* vocatur. Quare Philosophus (*Categ.* c. 6. al. 8.) ita illam describere contentus fuit: *Qualitatem voco, secundum quam quales aliqui esse dicuntur*, notificando videlicet abstractum per concretum cuique per se notum. Iam age, huiusmodi differentia qualificans accipitur dupliciter. Uno modo *latissime*, prout comprehendit formam quancunque rei determinativam, quatenus de ipsa *adiective* praedicatur [65]. Alio modo accipitur magis stricte pro differentia substantiae intrinseca et absoluta et per se ordinata ad complementum perfectionis propriae ipsiusmet substantiae. Haec porro differentia vel est in genere substantiae, et sic dicitur *differentia substantialis*, ut est rationale respectu animalis: vel est in genere accidentis, et sic habetur speciale genus, cui nomen *qualitatis* per antonomasiam appropriatum fuit. Differentia enim substantialis, etsi praedicatur in quale, reipsa tamen pertinet ad quidditatem substantiae. Ad rem S. Thomas. *Propria qualitas, ait, importat quandam modum substantiae: modus autem est, ut dicit Augustinus (4. *De Gen. ad litt.* c. 3.), *quem mensura praefigit*; unde importat quandam determinationem secundum aliquam mensuram. Et ideo, sicut id secundum quod determinatur potentia materiae secundum esse substan-

tiale, dicitur qualitas, quae est differentia substantiae (h. e. substantialis); ita id, secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, quae est etiam quaedam differentia, ut patet per Philosophum in 5. *Metaph.* (Summa th. 1. 2^{ae} q. 49. a. 2.) Quare retineri potest descriptio qualitatis, de qua loquimur, alibi tradita [78]: *Accidentalis modus substantiae, seu determinatio substantiae ad aliquid esse accidentale secundum debitum mensuram.* His verbis non solum a praedicamento substantiae, verum etiam a reliquis satis discernitur. Relatio enim, aliaque sex praedicamenta respectiva [79], per se primo de substantia dicuntur non absolute et secundum se spectata, sed ad alia comparate. Elsi vero quantitas pro munere habet substantiam ipsam extendere, id tamen non praestat secundum certam mensuram, nisi ope qualitatis, puta formae sive figurae, quae in quarta specie qualitatis recensentur. Ceterum haec notio, sicut et ceterae quae suprema genera entium constituunt, potius inductive, quam definitione notificatur. Quare Aristoteles, cum descripserit qualitatem per concretum rei quae dicitur qualis, continuo pergit ad explicandas species, seu genera subalterna, in quae distribuitur.

543. **Prima species qualitatis: definitio habitus.** — Age vero, primo loco in genere qualitatis ponitur *habitus et dispositio*. In hoc uno differt utraque notio, quod haec dicatur *facile*, illa vero *difficile mobilis*. Vocatur autem qualitas mobilis illa, quae, subiecto manente, potest recedere vel corrumpi. Exemplum huiusce distinctionis habes in materia scientiae. Eos enim, qui non probe veritatem perceptam retinent, vocamus magis minusve dispositos; at e converso, qui probe veritatem retinent, nec facile ab ea removeri queunt, *habitus* contraxisse asserimus. Ceterum, servato hoc discrimine, habitus et dispositio in ceteris conveniunt. Definitur porro habitus ex mente Angelici: *Qualitas difficile mobilis, secundum quam res bene vel male se habet in ordine ad suam naturam, et ad operationem vel finem eius* (q. c.).

Dicitur 1. *Qualitas difficile mobilis*, h. e. ratione sui.

Nihil enim prohibet aliquando habitum facile dimoveri a suo subiecto *per accidens*, puta ob contrarium corrumpens.

Dicitur 2. *secundum quam res bene vel male se habet*. Accipitur enim haec vox *habitus* in praesenti ad significandum modum, quo res ipsa se habere dicitur: in hoc autem modo se habendi consideratur bonum et malum, prout hic modus est conveniens naturae, vel ei disconveniens.

Dicitur 3. *in ordine ad suam naturam et ad operationem vel finem eius*. "Est enim, ait S. Thomas, de ratione habitus ut importet habitudinem quamdam in ordine ad naturam rei, secundum quod convenit vel non convenit. Sed natura rei, quae est finis generationis, ulterius etiam ordinatur ad alium finem, qui est vel operatio vel aliquid operatum, ad quod quis pervenit per operationem. Unde habitus non solum importat ordinem ad ipsam naturam rei, sed etiam consequenter ad operationem, in quantum est finis naturae vel perducentis ad finem. Unde et in 5. *Metaph.* (tex. 25.) dicitur in definitione habitus, *quod est dispositio secundum quam bene vel male disponitur dispositum, aut secundum se*, id est secundum suam naturam, *aut ad aliud*, id est, in ordine ad finem." (Summa th. 1. 2^{ae} q. 49. a. 3.)

544. **Quenam est ratio seu necessitas ponendi habitum.** — Ex tradita declaratione haud difficulter intelligi potest, qua de causa hoc qualitatis genus admittere oportet. Rem eleganter declarat S. Thomas (*loc. cit.* a. 4.). Ex cuius doctrina observa tria requiri et sufficere ut res aliqua capax sit habitum. Requiritur primo ut ipsa aliquo modo sit in potentia respectu eius ad quod disponitur per habitum: secus enim hic qualitatis modus ei repugnaret. Quare facultas sensitiva ex. gr. nequit esse subiectum scientiae, quia videlicet non est in potentia ad talem perfectionem. Similiter in Deo nequit habere locum habitus cuiuscumque generis; eius quippe natura non est composita ex potentia et actu, cum ipse sit sua operatio. Requiritur secundo, ut res non sit in potentia determi-

nata ad unum tantum. Secus enim tale subiectum *ex sua natura* iam haberet debitam habitudinem ad talem actum, et sic supervacanea esset qualitas superaddita per habitum. Ob hanc rationem vires naturales, utpote determinatae ad unum, non sunt capaces habituum. Tertio denique requiritur, ait S. Thomas, " quod plura concurrant ad disponendum subiectum ad unum eorum, ad quae est in potentia, quae diversis modis commensurari possunt; ut sic disponatur bene vel male ad formam vel ad operationem. Unde qualitates simplices elementorum, quae secundum unum modum determinatum naturis elementorum conveniunt, non dicimus *dispositiones* vel *habitus*, sed *simplices qualitates*. Dicimus autem *dispositiones* vel *habitus* sanitatem, pulchritudinem, et alia huiusmodi, quae important quandam commensurationem plurium, quae diversis modis commensurari possunt. His positis, patet necessitas ac finis, cuius gratia ponuntur habitus. Sunt enim plura entia, in quibus hae tres conditiones verificantur, ut praesertim videre licet in homine secundum partem superiorem seu intellectivam.

545. **De distinctione habituum.** — Ut ante inuimus, habitus ita est species qualitatis, ut plures alias inferiores species sub se contineat. Regulam porro ad recte distinguendos habitus specie differentes nitide expositam habes apud eundem S. Doctorem, quaeque prae oculis haberi debet etiam in theologia, ubi agitur *De virtutibus infusis*. " Dicendum, ait, quod habitus et est forma quaedam, et est habitus. Potest ergo distinctio habituum secundum speciem attendi aut secundum communem modum, quo formae specie distinguuntur, aut secundum proprium modum distinctionis habituum. Distinguuntur siquidem formae ab invicem secundum diversa principia activa, eo quod omne agens facit simile secundum speciem. Habitus autem importat ordinem ad aliquid. Omnia autem, quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quae dicuntur. Est autem habitus dispositio quaedam ad duo ordinata, scilicet ad naturam, et operationem consequentem naturam. Sic

igitur secundum tria habitus specie distinguuntur: uno quidem modo secundum principia activa talium dispositionum, alio vero modo secundum naturam; tertio vero modo secundum obiecta specie differentia. (Summa th. 1. 2^{ae} q. 54. a. 2.)

Ex hoc praeclarissimo criterio ita distinguuntur habitus specie differentes. Ex primo capite alii dicuntur *acquisiti*, alii *naturales*, alii *infusi*. Ex alio capite, habitus potest esse *bonus* vel *malus*. Ex tertio denique capite diversificantur pro diversitate obiectorum formalium, h. e. secundum diversas formales rationes cognoscibilis et appetibilis. Quae omnia suis quaeque locis plenius declarari debent. Interim, praeter art. 2. et 3. cit. quaest., confer etiam quae S. Doctor habet in quaest. 51.

546. **Secunda species qualitatis.** — Secundo loco collocatur, in genere qualitatis, *potentia* et *impotentia naturalis*. Recte autem utraque recensetur non ante sed post habitum seu dispositionem. Ut enim patet ex praecedentibus, habitus et dispositio secundum se ac primo respiciunt naturam, et ex consequenti dicunt ordinem ad operationem. Natura autem praecedit actionem, quam respicit potentia. Recte igitur prior species qualitatis ponitur habitus seu dispositio, non vero potentia. Porro de hac secunda specie qualitatis exproffeso agendum erit in disputatione quinta; modo sufficiat eius notionem paucis praeformare. Definitor itaque potentia, de qua loquimur: *Principium quo proximam, ad operandum primo et per se a natura ordinatum*. Hoc autem principium vel ordinatur solummodo ad agendum vel ad resistendum etiam. Si fuerit *validum et forte*, proprio nomine *potentia* dicitur; si est *debile*, quia aliud nomen deest, quo nominari possit, *impotentia* nuncupatur. Quare definitio a nobis tradita utrique convenit.

Dicitur porro 1. *Principium quo*, ut distinguatur a supposito; hoc enim est id *quod proprie est et operatur*; contra, *potentia* se habet per modum formae, qua suppositum operatur [532].

Dicitur 2. *Principium quo proximam*, ut distinguatur

a forma substantiali vel natura subiecti: haec enim est quidem principium quo suppositum operatur, primum tamen, seu radicale, non proximum. Quare in unoquoque datur una natura, plures vero potentiae.

Dicitur 3. *ad operandum primo et per se a natura ordinatum*; ut distinguatur a qualitatibus prioris speciei, quae vel acquisitae sunt vel naturales, vel saltem per se primo ordinantur ad perfectionem subiecti in suo esse, et de consequenti tantum ad operationem. Cf. S. Thomam (*Summa th. 1. 2^o q. 49. a. 3.*).

547. **Tertia species qualitatis.** — Passionis nomen duplici significatione potissimum accipi consuevit. Primo quidem pro quacumque receptione cuiusque formae quae actu fiat in subiecto praesistente: et sic constituit speciale praedicamentum distinctum a praedicamento seu categoria qualitatis. Secundo vero accipitur pro *qualitate, quae ex passione procedit*, ut maxime apparet in rebus sensibilibus: et hoc modo habetur specialis species qualitatis, de qua in praesenti. Qualitas enim, ex passione procedens, quandoque subita est et cito transiens, ut vultus rubor ex verecundia: quandoque vero stabilis et diuturna. Hinc Philosophus priori *passionis* nomen tribuit, quod videtur rem in fieri potius significare quam in facto esse: posteriorem vero vocat *passibilem qualitatem*, quae nata est aut per passionem fieri aut per passionem efficiere, non tamen semper veluti in actuali passione consistit. Huc maxime spectant, ut dictum est, qualitates, quae propria sensibilia dicuntur, praesertim quae cum aliqua alteratione coniunguntur.

Hic vero notandum est, nihil prohibere eandem qualitatem sub diversa ratione ad duplicem speciem referri. Quare S. Thomas. * Ipsae figurae et passibiles qualitates, secundum quod considerantur, ut convenientes vel non convenientes naturae rei, pertinent ad habitus vel dispositiones. Nam figura, prout convenit naturae rei, et color pertinent ad pulchritudinem; calor autem et frigus, secundum quod conveniunt naturae rei, pertinent ad sanitatem. » (*Summa th. 1. 2^o q. 49. a. 2. ad 1.*) Obser-

vandum est praeterea, passibiles qualitates per se primo ordinari, non ad agendum, sed ad propria subiecta afficienda, sive ut formam servant cum materia unitam, sive ut materiam ad suscipiendam formam disponent, sive ad fines alios. Possunt tamen et ipsa fieri actionis principia, sed hoc eis convenit secundario et concomitanter. Confer Suarez (*Metaph. D. 42. sect. 4. n. 9. 10.*).

548. **Quarta species qualitatis.** — Ultimo loco qualitatibus accensetur *figura et forma*. Illa definitur: *Qualitas resultans ex terminatione quantitatis secundum se consideratae*: quamobrem (*Summa th. 1. p. q. 7. a. 3.*) dicitur *forma quanti, in quantum huiusmodi*. Quod si consideretur in concreto in re quadam naturali vel artificiali, vocatur *forma, μετρητῆ*. Porro specialem considerationem meretur hoc qualitatis genus, quia scilicet maxime inservit ad specificam naturam corporum cognoscendam. * Inter omnes qualitates, ait S. Thomas, figurae maxime consequuntur et demonstrant species rerum. Quod maxime in plantis et animalibus patet, in quibus nullo certiori indicio diversitas specierum diiudicari potest, quam diversitate figurae. » (*8. Physic. lect. 5.*)

549. **Passiones qualitatis.** — Tres enumerantur.

1^o **Habere contrarium**: ut patet maxime in prima et tertia specie qualitatis. Potentiae vero naturales sine contrario sunt, ut quae oriuntur ab ipsa rei natura. Idem dic de figura, ac de habitibus nonnullis, ut sunt habitus principiorum, et synderesis, qui, utpote a natura causati, *naturales habitus* dicuntur [545].

2^o **Suscipere magis et minus.** — Id porro fit tum *extensive* tum *intensive*. Extensive quidem, ut habitus et dispositiones, quae augeri vel minui possunt pro eo quantum ad plures vel pauciores actus disponent, vel circa plura vel pauciora obiecta versantur, manente tamen semper essentiali relatione ad formalem rationem obiecti a quo speciem desunt. Intensive vero augmentum vel decrementum suscipiunt, prout subiectum magis minusve reducit in actum proprium cuiusque qualitatis, ut videre licet in certitudine adhaesiva mentis. Lege S. Tho-

mam (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 52. a. 1., Qq. Disp. De Virtutibus in communi, a. 11.*)

3^a **Esse fundamentum similitudinis et dissimilitudinis.** — Id maxime habetur in hoc genere, ut patet ex eius propria ratione ante descripta. Exinde tamen ne inferas *simile* et *dissimile* esse qualitates: sunt quippe relationes, tametsi passionis sunt qualitates. Nec est inconveniens, quod res in uno praedicamento, eiusdemque passio in altero collocetur. Sic homo est substantia; eius tamen accidentia propria, puta potentiae, sunt in genere qualitates.

SECTIO VII.

Relationum veritas ac propria ratio.

550. **Notio relationis.** — Relata ad aliquid vocamus, ait Aristoteles (*Categ. c. 5. al. 7.*), *quae ipsa, quidquid sunt, aliorum esse dicuntur, aut quocumque modo aliter ad aliud.* Quoniam vero plura sunt, eaque absoluta, quae tamen relativis nominibus saepe exprimuntur, hinc idem Philosophus paulo inferius hanc aliam descriptionem proponit magis claram et minus ambiguum, videlicet: *Sunt relata, quorum essentia nihil aliud est, quam ad aliquid modo quopiam esse affectum.* Est itaque relatio, in abstracto spectata, *habitus unus ad aliud.* Potest dupliciter considerari, nimirum ut subiecto inhaerens, et sic dicitur esse in eo quod refertur; vel ut respiciens terminum, et hoc proprie exprimitur ope particulae *ad.* Et quia conceptus iste posterior proprius est relationis, ut condistinctae a reliquis praedicamentis, ideo Philosophus hanc categoriam vocavit *Ad aliquid*, *πρός τι.* Ad rem S. Thomas. * Considerandum est, quod in quolibet novem generum accidentis est duo considerare. Quorum unum est esse quod competit unictique ipsorum, secundum quod est accidens; et hoc communiter in omnibus est inesse sub-

iecto; accidentis enim esse est inesse. Aliud, quod potest considerari in unoquoque est propria ratio uniuscuiusque illorum generum. Et in aliis quidem generibus a relatione, utpote quantitate et qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparisonem ad subiectum: nam quantitas dicitur mensura substantiae, qualitas vero dispositio substantiae. Sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparisonem ad illud, in quo est, sed secundum comparisonem ad aliquid extra. (*Summa th. 1. p. q. 28. a. 2.*) Hinc tria distinguere oportet in quavis relatione, nimirum *subiectum, terminum et fundamentum.* Subiectum est id, quod refertur, ac propterea in comparatione mentali accipitur in recto: terminus est id quod ab alio respicitur, ac proinde in comparatione mentali accipitur in obliquo: fundamentum denique relationis vocatur id, unde proxime resultat relatio, quod videlicet in causa est cur subiectum ad terminum refertur. Sic in relatione *paternitatis*, Petri ex. gr. erga Paulum, Petrus est subiectum, Paulus terminus, origo vero huius ab illo secundum generationem est fundamentum.

551. **Controversia duplex decidenda.** — Hac nominum interpretatione praeciata, duae quaestiones minime spernendae in re praesenti agitantur, quarum prior existentiam, altera vero propriam naturam seu rationem huius praedicamenti respicit. Primo itaque quaerendum venit, utrum inter genera entium, vere et proprie huiusmodi, realium videlicet, relationem quoque accensere oporteat, vel contra dicendum cum antiquis philosophis, quorum meminit S. Thomas, * quod relatio non est aliquid unum genus entium, nec est aliquid in rerum natura: sed est tantum quidem respectus respersus in omnibus entibus, et quod relationes sunt de intentionibus secundis, quae non habent esse nisi in anima. (*1. Dist. 26. q. 6. a. 1.*) Secundo vero quaeritur proprius modus essendi huius categoriae in quo tandem sit ponendus, utrum videlicet sit modus aliquis entis seu accidentis a realitate ceterorum praedicamentorum reipsa distinctum, ut nonnulli veteres theologii ac philosophi putarunt, vel

contra ab iis sola ratione distinguatur. Ex solutione utriusque huius controversiae cetera, quae de relatione explicare oportet, facili negotio derivabimus.

THESIS XV.

Dantur extra mentem verae relationes reales, aequae tum essentiales seu transcendentales, tum accidentales seu praedicamentales.

552. *Probatio I. partis.* — Generale argumentum sumitur ex ordine universi. Perfectio, ait S. Thomas, et bonum, quae sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolute inhaerens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam: sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit; huic enim ordini comparat Philosophus ordinem universi (10. *Metaph.*). Oportet ergo in ipsis rebus ordinem quandam esse. Hic autem ordo relatio quaedam est. Unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas unum ad alterum ordinatur. (Qq. Disp. Pot. q. 7. a. 9.) Speciatim vero, ut huius argumenti vis melius sentiat, poterit ulterius haec pars sic comprobari secundum triplicem modum relationis, quem innuit Philosophus (5. al. 4. *Metaph.* c. 15.).

I. Ut suo loco ostendimus [359], conceptus universales, quibus scientiae omnes absolvuntur, non sunt aliquid a mente confictum, sed eorumdem universalitas habet verum et reale fundamentum in ipsa natura rerum. Hoc porro fundamentum, ut ibidem explicatum fuit, positum est in ipsa relatione similitudinis, sive specificae sive genericae, quam res individuae habent vel habere queunt ad invicem. Ergo datur extra mentem aliqua relatio vera et realis, convenientia videlicet similitudinis, nisi velimus ipsum obiectivum valorem scientiarum naturalium inficiari.

II. Res omnes naturales mutua actione et passione invicem connectuntur, et ex hac mutua causalitate fere tota dependet pulchritudo, quam circumspicimus in hoc universo et in singulis eius partibus. Atqui huicemodi actionis et passionis ope, citra mentis operationem, vere referuntur tum ipsae ad invicem tum omnes ad supremam Causam, a qua iugiter conservantur et dependent: relatio autem in habitudine consistit unius ad aliud. Ergo non in mente tantum, sed in ipsis rebus extra mentem positus, et citra ipsiusmet mentis operationem, relationes dantur, quae propterea reales vocantur.

III. Denique multa sunt in rerum natura, quorum esse totum dependet ab alio, sicut mensuratum a sua propria mensura. Sic veritas nostrae scientiae tota mensuratur a seibili, quemadmodum etiam veritas imaginis mensuratur ab eo cuius est imago. Haec porro dependentia realis est, non a mente conficta. Ergo existit habitudo quaedam, seu relatio realis a mentis consideratione independens.

Neque officit huic demonstrationi, quod necessaria sit mentis operatio, ut mutuo comparentur duo extrema inter se. Talis enim comparatio minime requiritur ad relationem constituendam, sed tantum ut relatio existens cognoscatur. Sic pater non ideo *ordinatur* ad filium, quia per actum mentis unus cum altero comparatur; sed haec comparatio requiritur, ut pater esse *cognoscatur*.

553. *Explicatio II. partis.* — Sicut aliae multae perfectiones, item et relationis ordo, dupliciter alicui rei convenire potest, essentialiter nimirum et accidentaliter. Primo modo convenit, si per se et vi essentialis suae ad aliud referatur, qualis est ex. gr. ordo scientiae ad suum proprium obiectum, ac generatim ordo rerum, quae nequeunt defini nisi *per additamentum* [100]. Hae porro relationes dicuntur *essentiales* et *transcendentales*. Essentialiales quidem, quippe quae pro munere habent determinare ipsam naturam rei, cui insunt: transcendentales vero, quia talis modus relationis inveniri potest in omnibus categoriis, ut quisque per se ipse facile considerare po-

terit. Alius vero modus relationis complectitur eos respectus, qui adventitii sunt rei in suo esse constitutae, quique proinde inesse vel abesse queunt illaese eiusdem naturae. Talis est ex. gr. relatio similitudinis, quae habetur vel amittitur existente vel pereunte termino similitudinis: idem dicas de plerisque relationibus, quae fundamentum habent in actione et passione. Haec proinde merito vocantur *accidentales*. Dicuntur etiam *praedicamentales*: peculiare enim genus accidentis constituunt.

554. *Corollaria*. — Ex dictis haec inferuntur.

I. Relatio realis nihil aliud est, nisi *habitus seu respectus unius rei ad aliam existens in ipsis rebus independenter a mentis consideratione*, qualis habetur, ex. gr. in effectu ad suam causam comparate. Erit proinde logica, quae rebus attribuitur *praecise in quantum sunt intellectae*; ut est ex. gr. relatio identitatis rei unius ad seipsam. Haec divisio, ut observat S. Thomas, praecipue consideratur in re praesenti. * Considerandum est, ait, quod solum in his, quae dicuntur ad aliquid inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem; quod non est in aliis generibus. Quia alia genera, ut quantitas et qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhaerens: ea vero quae dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliqua res secundum suam naturam ad invicem ordinatae sunt, et invicem inclinationem habent; et huiusmodi relationes oportet esse reales... Aliquando vero respectus significatus per ea, quae dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri: et tunc est relatio rationis tantum, sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus. (Summa th. 1. p. q. 28. a. 1.)

II. Relatio transcendentalis et praedicamentalis in hoc praecise differunt, quod prior sit essentialis ipsi rei quae refertur; contra, accidentalis est extra eius essentiam ac propterea ei adveniens. Quare nihil prohibet eandem relationis entitatem esse simul transcendentalem et

praedicamentalem secundum diversam considerationem. Ita ex. gr. actio seipsa refertur ad terminum per ipsam productum et cum eo essentialiter connectitur. Eadem praeterea refert accidentaliter agens ad effectum, atque ita est relatio praedicamentalis. Similiter loquaris de cognitione. Neque refert distinctio praedicamentorum. Ut enim in Logica notavimus [81], minime necesse est praedicamenta universim et ex genere seipsa distingui. Sic, ut sistamus in exemplis modo allatis, cognitio prout qualificat subiectum, atque illud facit accidentaliter ab aliis differre, qualitas est: ut vero subiectum ordinat ad extrinsecum obiectum, relatio est. Similiter actio, ut actio est, significata per modum egressus et in fieri, est speciale praedicamentum, quod propterea a Philosopho non per nomen, sed per verbum exponitur (*Categor. c. 7. a. 9.*): significata vero per modum quietis et stabilis connexionis inter causam et effectum, relatio est ac nomine potius quam verbo explicatur.

III. Duplex distinctio relationis modo tradita minime confundenda est cum altera distinctione, quae in hac materia solet etiam adhiberi, in relationem videlicet *secundum esse*, et relationem *secundum dici*. * Dicuntur, ait S. Thomas, relativa secundum esse, quando nomina sunt imposita ad significandas ipsas relationes; relativa vero secundum dici, quando nomina sunt imposita ad significandas qualitates vel aliquid huiusmodi principaliter, ad quae tamen consequuntur relationes. Nec quantum ad hoc differt, utrum sint relationes reales vel rationis tantum. (Qq. Disp. Pot. q. 7. a. 10. ad 11.) Exemplum habes in *scientia creata* et in *manu*, quae sunt relativa secundum dici, et tamen habent respectum realem, illa quidem transcendentalem ad scibile, haec vero praedicamentalem ad suppositum cuius est. Contra, est aliquod reale relativum secundum esse, ut *pater*, et est relatio aliqua rationis secundum esse, ut *dextrum* in columna, quod involvit respectum rationis non importatum tamen per nomen dextri. Confer quae idem S. Doctor habet (*Summa th. 1. p. q. 13. a. 7. ad 1.*).

THESIS XVI.

Si fundamentum, unde praedicamentalis relatio proxime resultat, adaequate spectetur, ipsa ab eo non distinguitur nisi sola ratione.

555. *Explicatio.* — Quaestio haec movetur praecipue, ut relationis praedicamentalis obiectiva realitas explicetur. Relationes enim transcendentales seu essentiales, quibus nonnullae res ad proprios terminos referuntur, nullam alicuius momenti difficultatem faecessunt. Sicut enim uniuersusque rei essentia ab ea non distinguitur, ita nec respectus illi essentiales, qui in ea involvuntur, cuiusmodi est ex. gr. relatio intentionalis representationis, qua cognitio constat et refertur ad proprium suum obiectum. Sermonem propterea institimus de altero relationum genere, quas praedicamentales appellavimus.

I. Fundamentum relationis, ut ante definivimus [550], est id unde proxime ea innascitur seu causatur. Hoc porro fundamentum triplex est pro triplici modo relationis, quem ex doctrina Philosophi in praecedenti thesi distinximus. Prima nempe classis eas relationes amplectitur, quae fundantur in *unitate et numero*. Huc spectant generatim relationes omnes similitudinis vel aequalitatis, et dissimilitudinis vel inaequalitatis. In altero genere collocantur relationes, quae fundantur in *potentia agendi et patiendi eorundemque actionibus et passionibus*. Hic vero observa, alium esse terminum realem potentiae activae, abstrahendo ab actione, a termino ipsiusmet, prout subest actioni, seu ut facientis. Prior enim terminus est potentia passiva, posterior vero est ipse effectus ut fluens a potentia activa. Idem dic ratione inversa de termino potentiae passivae. Ad tertium denique relationum genus pertinent, quae fundantur in *ratione mensurae et mensurati*, non quidem eo modo, quo quantitas dicitur alterius quantitatis men-

sura; id enim spectat ad primam classem relationum: sed eo modo quo res nonnullae propriam suam perfectionem non habent, nisi ut est coaptata et commensurata perfectioni alterius, quo modo scientia refertur ad seibile. Hae porro relationes, si considerentur in ea ipsa re, quae sic mensuratur, sunt transcendentales, si vero spectantur in subiecto, cui praedicta res accidit, sunt praedicamentales [554, II.].

II. Descriptum relationis fundamentum dupliciter spectari potest, *inadaequate et adaequate*. Inadaequate concipitur, si spectatur solummodo ex parte subiecti, vel si consideratur quidem aliud extremum, seu terminus relationis, conceptu tamen *absoluto non comparativo*. Contra spectatur adaequate, si concipitur ex parte utriusque extremi quod relatio includit, idque invicem comparate. Iam vero, hoc modo fundamentum relationis si consideretur, dicimus, nulla alia opus esse forma vel modalitate reali superaddita ut relatio habeatur, sed ipsum plane sufficere ut unum extremum ad aliud realiter referri seu ordinari intelligatur. Differt tamen ratione relatio, qua talis, a fundamento: quandoquidem hoc concipi potest, tum absolute vel conceptu ad alia praedicamenta pertinente, puta qualitatis, actionis, passionis; tum conceptu proprio praedicamenti relationis [554, II.].

556. *Probatio.* — Sententia sic exposita duplici constat argumento.

I. Sola entitate extremorum et fundamenti concepta, tametsi fit praecisio a quovis modo reali superaddito, plane intelligitur unum esse alteri simile vel dissimile, item unum ab alio pendere sive tanquam effectum a sua causa, sive ut mensuratum a sua propria mensura, sive generatim ut perfectibile a suo perfectivo. Atqui eiusmodi sunt relationes reales, quas praedicamentales dicimus. Ergo.

II. In sententia opposita necessario consequens foret concedere in quacumque nova entis productione eiusve mutatione, innumerabiles ac prope infinitas gigni istiusmodi entitates relativae de novo ac physice uniuersae rei superadditas, puta similitudinis, distinctionis, aequalitatis,

inaequalitatis, etc. Atqui hoc et a communi hominum sensu abhorret et nulla necessitate inducitur.

Neque obest communis obiectio de prompta ex reali separabilitate, quae saepenumero contingit relationis a subiecto relato ob deficientiam termini: quemadmodum paries a desinit esse similis parieti *b*, si hic destruat, et Petrus cessat esse pater, si filius moriatur. Nam hoc unum inde consequitur, nimirum in huiusmodi relationibus, quae remouentur deficiente termino, fundamentum adaequate inspectum desumendum esse non ex parte unius extremi dumtaxat, sed etiam ex parte alterius; ac propterea, ex utraque vel alterutra parte deficiente, deficere etiam relationem quae cum eo identificatur. Ad rem S. Thomas. " Non oportet ad hoc, quod de aliquo relato aliqua de novo dicatur, quod aliqua mutatio in ipso fiat; sed sufficit, quod fiat mutatio in aliquo extremorum. Causa enim habitudinis inter duos est *aliquid inhaerens utrique*: unde ex quacumque parte fiat mutatio illius, quod habitudinem causabat, tollitur habitudo quae est inter utrumque. (Qq. Disp. Pot. q. 7. a. 8. ad 5.) Quare obiectio facta nihil plane evincit contra thesism, quam defendimus: bene tamen militat contra illos philosophos, qui ad rerum, praesertim corporearum, mutationem explicandam toti sunt in variandis earundem respectibus seu relationibus, quin ullo modo fatigentur ut nos edoceant, ex qua parte vere et intrinsece mutantur extrema, quo relato una desinat et altera subintret: proferunt quippe rationatum sufficienti sua ratione destitutum.

THESIS XVII.

Relatio rationis non uno modo contingit, sed multiplex est ac diversa. Eiusmodi porro censeri debet relatio quaelibet Dei ad creaturas.

557. **Probatio I. partis.** — Breviter ac nitide eam sic ostendit Angelicus. " Dicendum, quod sicut realis relatio consistit in ordine rei ad rem, ita relatio rationis consistit in ordine intellectuum; quod quidem dupliciter potest contingere. Uno modo secundum quod iste ordo est adinventus per intellectum, et attributus ei quod relative dicitur: et huiusmodi sunt relationes, quae tribuuntur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellectae, sicut relatio generis et speciei; has enim relationes ratio advenit considerando ordinem eius, quod est in intellectu, ad res, quae sunt extra, vel etiam ordinem intellectuum ad invicem. Alio modo secundum quod huiusmodi relationes consequuntur modum intelligendi, videlicet quod intellectus intelligit aliquid in ordine ad aliud; licet illum ordinem intellectus non adveniat, sed magis ex quadam necessitate consequatur modum intelligendi. Et huiusmodi relationes intellectus non attribuit ei, quod est in intellectu, sed ei quod est in re. Et hoc quidem contingit, secundum quod aliqua non habentia inter se ordinem, ordinate intelliguntur; licet intellectus non intelligat ea habere ordinem, quia sic esset falsus. *Ad hoc autem quod aliqua habeant ordinem, oportet quod utrumque sit ens; et utrumque distinctum, quia eiusdem ad seipsum non est ordo; et utrumque ordinabile ad aliud.* Quandoque autem intellectus accipit aliqua duo, ut entia, quorum alterutrum tantum, vel neutrum est ens; sicut cum accipit duo futura, vel unum praesens et aliud futurum, et intelligit unum cum ordine ad aliud, dicens alterum esse prius altero: unde istae relationes

sunt rationis tantum, utpote modum intelligendi consequentes. Quandoque vero accipit unum, ut duo, et intelligit ea cum quodam ordine; sicut cum dicitur aliquid esse idem sibi: et sic talis relatio est rationis tantum. Quandoque vero accipit aliqua duo, ut ordinabilia ad invicem, inter quae non est ordo medius, immo alterum ipsorum essentialiter est ordo; sicut cum dicitur relationem accidere subiecto: unde talis relatio relationis ad quodcumque aliud rationis est tantum. Quandoque vero accipit aliud cum ordine ad aliud, in quantum est terminus ordinis alterius ad ipsum, licet ipsum non ordinetur ad aliud; sicut accipiendo scibile, ut terminum ordinis scientiae ad ipsum: et sic cum quodam ordine ad scientiam nomen scibilis relative significat; et est relatio rationis tantum. (Qq. Disp. *Pot.* q. 7. a. 11.)

558. *Probatio II. partis.* — Hanc partem elegantius etiam ostendit S. Thomas (quaest. citata a. 10.). Discursus S. Doctoris huc redit. Contingit enim aliquid realiter ordinari ad alterum, vel quia ambo sunt unius ordinis; vel quia unum ab alio dependet, tametsi in eundem ordinem minime conveniunt. Primo modo relatio contingit, quando in utroque extremo adest fundamentum eiusdem rationis vel cedens in perfectionem utriusque. Tales relationes sunt propterea *mutuae*, quippe bina extrema invicem referuntur. Alio vero modo habetur relatio *non mutua*, cum videlicet unum ab alio dependet, hoc tamen est omnino extrinsecum ab illo genere actionum vel virtutum, quas consequitur talis ordo. Exemplum habes in scientia nostra respectu scibilis. * Quia, ait Angelicus, sciens, per actum intelligibilem, ordinem habet ad rem scitam, quae est extra animam: ipsa vero res, quae est extra animam, omnino non attingitur a tali actu, cum actus intellectus non sit transiens in exteriorem materiam mutandam; unde et ipsa res, quae est extra animam, omnino est extra genus intelligibile. , Iam vero Deus neutro modo ordinari potest ad creaturam. Est enim extra totum ordinem creaturae, et nullo modo ab ea dependet. Ergo in Deo non est aliqua realis relatio

ad creaturas, sed rationis tantum, *quatenus* videlicet *creaturae referuntur ad ipsum*, quemadmodum scibile secundum rationem dicitur referri, in quantum est terminus relationis, quam habet scientia ad ipsum. Confer Suarez (*Metaph.* D. 47. sect. 16. n. 22. seqq.).

559. *Coroll. I.* — **Conditiones ad realem relationem necessariae.** — Ex dictis facile intelligitur, ad quodcumque relationem realem necessario requiri realem existentiam subiecti, cui relatio tribuitur, ac fundamenti, unde ipsa exsurgit. Requiritur insuper, ut subiectum et terminus realiter distinguantur. Quod attinet vero ad termini existentiam, ea non videtur esse necessaria, nisi quando fundamentum, unde relatio causatur, est aliquid utrique relationis extremo inhaerens; et huc spectant testimonia S. Thomae supra recitata [556, 557], ut videre licet praesertim in relationibus primi generis. Ceterum, si relatio sit non mutua, et fundamentum relationis habeatur adaequate ex parte solius subiecti, tunc nihil prohibet relationem realem, sive transcendentalem, sive etiam praedicamentalem, haberi ad terminum non existentem. Exempla manifesta sunt in relatione transcendentali, puta scientiae ad scibile, potentiae ad actum possibilem, et similium. Atqui relatio, quae transcendentalis est, si spectatur in ipsa scientia relate ad scibile, non est nisi praedicamentalis, si spectetur in subiecto, cui scientia accidit, puta in humano intellectu [554, II.).

560. *Coroll. II.* — **Proprietates relationis.** — Facile etiam ex dictis eliciuntur proprietates relativorum. Haec sunt potissimae.

1^a **Relativa sunt opposita.** — Hoc autem oppositionis genus, ut observat S. Thomas, * in duobus differt ab aliis oppositionibus. Quorum primum est, quod in aliis oppositis unum dicitur alteri opponi, in quantum ipsum removet: negatio enim removet affirmationem, et secundum hoc ei opponitur; oppositio vero privationis et habitus et contrarietatis includit oppositionem contradictionis, ut 4. *Metaph.* dicitur. Non autem est hoc in relativis. Non enim per hoc opponitur filius patri, quod ipsum removeat,

sed propter rationem habitudinis ad ipsum. Et ex hoc causatur secunda differentia. Quia in aliis oppositis semper alterum est imperfectum: quod accidit ratione negationis, quae includitur in privatione et altero contrariorum. Hoc autem in relativis non oportet, immo utrumque considerari potest, ut perfectum, sicut patet maxime in relativis aequiparantiae, et in relativis originis, ut aequale, simile, pater et filius. (Qq. Disp. Pot. q. 7. ad 8.)

2^a **Suscipiunt magis et minus.** — Haec proprietates non est intelligenda, quasi ipsa relatio intendatur vel remittatur, ut contingit in qualitatibus; sed quatenus, variato fundamento, relativa denominantur magis vel minus talia *per accessum vel recessum ab uno perfecto termino*, ut videre licet in similitudine et aequalitate. Cf. Suarez (*Metaph.* D. 47. sect. 8. n. 3., 4.).

3^a **Sunt simul natura et cognitione.** — Sermo est de relativis, qua talibus. Ratio plana est. *Esse enim ad*, in quo posita est relatio, est forma indivisibiliter afficiens, tametsi diversimode, utrumque extremum.

4^a **Ad relationem non datur motus seu mutatio, nisi per accidens.** — Hanc proprietatem tradit Aristoteles (5. *Physic.* c. 2. al. 3.). Quo pacto vero sit intelligenda, et qua de causa, sic dilucide ex mente Philosophi exponit Angelicus. * Ostendit (Aristoteles), quod non est motus in genere *ad aliud*. In quocumque enim genere est per se motus, nihil illius generis de novo invenitur in aliquo absque eius mutatione; sicut novus color non invenitur in aliquo colorato, absque eius alteratione. Sed contingit de novo verum esse aliquid relative dici ad alterum, altero mutato, ipso tamen non mutato. Ergo motus non est per se in *ad aliquid*, sed solum per accidens, in quantum scilicet ad aliquam mutationem consequitur nova relatio; sicut ad mutationem secundum quantitatem sequitur aequalitas vel inaequalitas, et ex mutatione secundum qualitatem similitudo et dissimilitudo. (5. *Physic.*, lect. 3.) Ex qua doctrina maxime confirmantur, quae ante docuimus (lh. XVI).

DISPUTATIO IV.

DE POTENTIA ET ACTU

SECTIO I.

Notio potentiae et actus enucleantur.

561. **Notio potentiae activae et passivae ex mente Philosophi.** — Nomen *potentiae* dupliciter accipitur in *Metaphysica*, *praedicamentaliter*, et *transcendent*. Primo modo consideratur, prout est species determinata *qualitatis*; et hoc sensu non est quaestio in praesenti. Alio modo sumitur, prout ad omne genus entis se protendit; et de potentia sic intellecta sermonem nunc habemus. Ut haec porro notio rite praeformetur, notandum est, eam primo ingenerari in mente nostra ex contemplatione mutationum, quas experimur. Intellectus enim non in superficie rerum sistit, quas persentimus, sed continuo ad earundem rationes ac principia perscrutanda naturaliter fertur [267]. Quare simul ac conspicimus, unum in aliud transmutari, praeter meram phaenomenorum successionem, quam sensus percipiunt, mens suapte natura ad *principium* etiam huius successionis et transmutationis concipiendum assurgit. Ut enim transmutatio contingat, necessario requiritur aliquid quod *transmutari possit*, et aliquid quod reipsa *transmutare possit*: illud est principium *passivum* transmutationis, hoc vero principium *activum*. Hinc conceptus potentiae duplicis, *activae* scilicet et *passivae*.